

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

Rerum index:

Religionis conceptus.

Disputationes philosophicae Modernistam inter et Thomistam.
— Amor ultimi finis, seu boni in communio, est intrinsecus actus naturalis, seu ex natura, licet in individuo possit esse liber.

De sonis ac poetica apud veteres Graecos.

Ludi puerorum a iud Italos. — Rana.

Tripolis Italica.

Induratae nives in Alaska peninsula.

Ex Polonia. — De « doctrinarum Societate » Varaviae condita.

Acta Pontificia. I. Constitutio Apostolica de nova Ecclesiasticae hierarchiae in Anglia ordinatione. — II. Rubricae in recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae a lno man Constitutionis Apostolicae « Divino afflato ».

Ex Sacris Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae. Ex Congregatione Indicis.

Diarium Vaticanum. Coram SSmo. admissiones. — Pontificiae electiones. — Vita functi viri clariiores.

Annales. Bellum inter Italos atque Turcas. — Eversae res in Sinis. — Varia.

Publici per orbem coetus legibus ferendis.

Per orbem.

Librorum recensio. (R. Zoozmann).

Aenigmata.

Appendix: Euplius.

Proxima « Voci Urbis » appendix.

RELIGIONIS CONCEPTUS

Positivismi blasphema sententia fuit : « Extinctis diis Deoque successit humanitas ». Propter quae omnia Rationalistis quibusdam laetanter concludere placuit : « Non amplius Christiani sumus, neque Christianismus amplius existit, neque homo, si rationem sequitur, amplius credit; denique *religio* quaelibet extincta est. » At, pro dolor ! neque Positivismo, neque Rationalistis res bene cessit ! Hominum studia circa Religionem aetate nostra vividius creverunt, atque formae etiam Religionis innumerae ortae sunt. Hinc penes Positivistas atque Subiectivismo addictos in Libris atque Ephemeridibus de Religione tractantibus, denominations huiusmodi habentur : « Religio medici, Religio laici, Religio spiritus, cultus, progressus, sensus, pugnae, libertatis, timoris, amoris, experientiae, lucis, sapientis, quaerentis Deum, filiorum Dei, Humanitatis, Religiones spiritus et auctoritatis, Religio Atheismi, Deismi, Liberalismi, negationis Dei. » (1) Haec omnia vel ex religionis ignorantia, vel ex animi protervia, vel ex impietate dicta esse, neminem latet. Perutile igitur ducimus Religionis genuinum conceptum firmiter stabilire ac sobrie illustrare.

Recensitis ideo Religionis conceptibus, qui penes Positivistas atque Subiectivismi fautores, necnon Modernistas vigent, catholicum Religionis conceptum, Angelico Praeceptore duce, trademus.

Penes Positivistas infimae notae, Religio est : » Illusio quaedam, illusionum medicina, suipsius deceptio, populorum ruina, periculum pro humani intellectus sauitate, crimen et venenum quoddam, quaedam hominis factura, sensus quidam intimus hominis qui sibi ipsi

Deos fingit, vera humanae naturae magia, quaedam phantasiae creatio, quidam gradus egoismi altissimus, quaedam proprii *Ego* divinatio et veneratio, quaedam personalis elevatio *Ego* humani ad Deum ignotum et incomprehensibile, (1) ita ut iuxta Subiectivismi placa, Religio definienda sit : « Quaedam sensuum atque religiosarum inclinationum manifestatio, in qua nulla revelatio, nullum dogma, nullaque habetur auctoritas, immo dogmata et revelatio vel non substantialia religioni sint, vel causa erroris, auctoritas vero, eiusdem sit impedimentum ».

Nobilius de religione ipsa tenent atque sentiunt quidam Subiectivismi fautores. Pro istis, religio cognitionibus, actionibus, hominisque sensibus scopum ac directionem assignat; non est sola theoria, sed vita; est quaedam personalis et viva manifestatio eorum quae formam altissimam humanae activitatis esse existimantur; est fides quaedam in res sensibus subiectisque finitis superiores; est manifestatio actionum quarumdam religiosarum, quae religiosae commotionis symbola signaque sunt; est conscientia quaedam divini, illiusque elementa divino quod in homine existit respondent; est res ab hominis intellectu comprehensa, manifestatio externa rationalis commotionis; est fides in divinum; est indissolubilis unio intellectus, sensus ac voluntatis; est vita quaedam, credere quoddam, ritus quidam. (2)

Religio, existimant alii, est « sensus absolutus independentiae nostrae; est desiderium quod per orationem, sacrificium ac fidem manifestatur; est sensus nostrarum obligationum, quae in divinis praeceps fundantur, est facultas spiritualis, quae a sensibus necnon ab intellectu independens, reddit hominem ad infinitum percipiendum aptum; est problema quoddam, non axioma

(1) Cf. *Revue de l'histoire des religions* XXXI, 67 — CASSON. *The crime of credulity* (Literary Guide 1901, 102. WEISS in 1. c. I, 16, 17).

(2) WATSON, *The Philosophical Basis of Religion*, Lecture first.

aliquid (1) ; est aspiratio quaedam ad Deum eiusdemque communionem, ad quam homo redditur capax per intellectum, dicitur vero per sensum. (2) Ultimis diebus, Salomon Reinach religionem definit : « Serupulorum complexum, quibus nostrarum facultatum liberum exercitium impeditur ».

Iuxta Modernistarum placita, (3) Religio est « animae humanae indestructibilium indigentiarum spontaneum consectarium, quibus indigentiis per solam internam experientiam ac commotionem divini in nobis existentis satisfieri potest ». Diffusius Modernistarum mens in Epistola Pii P. P. X « *Pascendi* » hisce verbis manifestatur : « Religio, sive ea naturalis est sive supranaturalis, ceu quodlibet factum, explicationem aliquam admittat oportet. Explicatio autem, naturali theologia deleta aditque ad revelationem ob reiecta credibilitatis argumenta intercluso, immo etiam revelatione qualibet externa penitus sublata, extra hominem inquiritur frustra. Est igitur in ipso homine quaerenda : et quoniam religio vitae quaedam est forma, in vita omnino hominis reperienda est. Ex hac *immanentiae* religiosae principium asseritur. Vitalis porro cuiusque phaenomeni, cuiusmodi religionem esse iam dictum est, prima veluti motio ex indigentia quapam seu impulsione est repetenda : primordia vero, si de vita pressius loquamur, ponenda sunt in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur. Eam ob rem, quum religionis obiectum sit Deus, concludendum omnino est, fidem, quae initium est ac fundamentum cuiusvis religionis, in sensu quodam intimo collocari debere, qui ex indigentia divini oriatur. Haec porro divini indigentia, quia non nisi certis aptisque in complexibus sentitur, pertinere ad conscientiae ambitum ex se non potest ; latet autem primo infra conscientiam, seu, ut mutuato vocabulo a moderna philosophia loquuntur, in *subconscientia*, ubi etiam illius radix occulta manet atque indeprehensa. — Petet quis forsitan, haec divini indigentia, quam homo in se ipse percipiat, quo demum pacto in religionem evadat. Ad haec modernistae : Scientia atque historia, inquiunt, duplii includuntur termino ; altero externo, aspectabili nimirum mundo, altero interno, qui est conscientia. Alterutrum ubi attigerint, ultra quo procedant non habent : hos enim praeter fines adest *incognoscibile*. Coram hoc *incognoscibili*, sive illud sit extra hominem ultraque aspectabilem naturam rerum, sive intus in subconscientia lateat, indigentia divini in animo ad religionem prono, nullo, secundum *fideismi* scita, praevertente mentis iudicio, peculiarem quemdam commovet *sensus* : hic vero divinam ipsam *realitatem*, tum tamquam obiectum tum tamquam sui caussam intimam, in se implicatam habet atque hominem quodammodo cum

(1) LABANCA — *La Religione per l' Università-un problema non un assioma*, (*Revue de l' histoire des Religions*, XIII, 392).

(2) ORPHEUS, *Introduct.*

(3) *Il Programma dei Modernisti*, p. 98.

Deo coniungit. Est porro hic *sensus* quem modernistae fidei nomine appellant, estque illis religionis initium ».

Ideoque in Modernistarum sententia, religionis *explicatio* in vita hominis, hoc est in *immanentiae religiosae* principio est reperienda ; *primordia* eiusdem in motu quodam cordis, qui *sensus* dicitur, *objectione* deinde illius Deus est. *Fides* vero, quae cuiusvis religionis initium est ac fundamentum, in sensu quodam interno qui ex indigentia divini oritur collocari debet. *Indigentia* haec divini infra conscientiam immo in *subconscientia* latet, evadit autem in religionem, quia coram *incognoscibili*, quod extra mundum extraque conscientiam est, *sensus* commovet qui hominem quodammodo cum Deo coniungit. Sensus iste est religionis initium.

Modernistarum somniis relictis, ad catholicorum de Religione conceptum procedamus.

Relationes hominis ad Deum per vocabula « *pietatis* » vel « *timoris Domini* » exprimit S. Scriptura, dum in S. Iacobi Epistola (I, 27) legimus : « Religio munda, et immaculata apud Deum et Patrem, haec est : Visitare pupilos, et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo ». (1)

Penes Graecos per voces « *Dei cultus*, *Boni cultus*, *cultus Numinis* » eaadem relationes hominis ad Deum designantur ; dum Latini vocem « *Religionis* » adhibuerunt. Relationes huiusmodi « *Religio* » vocatae fuere, vel a *relectione*, vel ab *electione*, vel a *religatione*.

A *relectione* primo ; Tullius enim scribit (2) : « Dicti sunt religiosi ex *relegendo* ut elegantes ex eligendo, tamquam diligentes, ex intelligendo intelligentes. » Ab *electione* secundo, quum Augustinus scribat (3) : « Ipse fons nostrae beatitudinis, ipse omnis appetitionis est finis : hunc elegentes vel potius *religentes* amiseramus enim negligentes, hunc ergo *religentes*, unde et religio dicta perhibetur ». A *religatione* tertio ; Lactantius enim ait (4) : « Hoc vinculo pietatis obstricti Deo et *religati* sumus : unde ipsa Religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est a *relegendo*... Quid ergo est ? Nimirum religio veri cultus est, supersticio falsi ». S. Thomas (5) hisce religionis notionibus relatis, sapienter concludit : « Sive autem religio dicatur a frequenti *relectione*, sive ex iterata *electione* eius quod negligenter amissum est, sive dicatur a *religatione*, religio proprie importat ordinem ad Deum. Ipse enim est cui principaliter alligari debemus tamquam indeficienti principio ; ad quem etiam nostra electio assidue dirigi debet sicut in ultimum finem ; quem etiam negligentes peccando amittimus ; et credendo, et fidem protestando recuperare debemus ». (6)

(1) Cf. Io. XVI, 2; Act. XXVI, 5; Rom. XII, 1; Col. II, 18.

(2) *Dz Nat. Leorum* I, 2, 28.

(3) *Dz Civ. Dei*, X, 3 M. XLI, 280.

(4) *Divin. Instit.*, *dz vera Sap.* et *Relig.* c. 28 M. 6, 536.

(5) 2²⁹⁶ p. 81, 1.

(6) Cf. SCHANS. *Apología del Cristianismo* P. I, IV, (Trád. del PELLEGRINETTI).

Theologi catholici quidam religionem triplici sub respectu considerant :

1. prout quoddam veritatum sistema, praesertim Deum, eiusque cultum spectantium, complectitur, quae a mente retinendae ac credendae sunt ;

2. prout exterius veritates illae per aliqua sensibilia signa manifestantur, ac veluti ob oculos ponuntur ;

3. prout ad id quod intellectu creditur sensibusque manifestatur voluntas se in agendo conformat.

Paucis verbis, religio spectari potest *objective*, nempe prout sistema veritatum est ; et *subjective* prout est *virtus*. *Subjective*, exprimi recte potest hisce verbis : « Debitus cultus veri Dei » ; *objective* : « Complexio veritatum Deum, mundum et hominem, eorumque mutuam relationem spectantium, praesertim relate ad debitum cultum vero Deo praestandum ac beatitudinem homini ab ipso Deo retribuendam ». (1)

Alii aliter ad conceptum religionis assequendum procedunt, *a priori* nempe ex ipsa Dei et hominis notione ; *a posteriori*, facta religiosa ab aliis factis secernendo.

Primo sub respectu, notio religionis tria praesertim elementa complectitur :

- a) *Doctrinam seu dogmata* ;
- b) *Regulam morum* ;
- c) *Principium vitae*.

Secundo sub respectu eadem elementa in religionis conceptu reperiuntur ; videlicet : *doctrina* quedam *intellectualis*, et in hoc cum philosophia concordat ; *regula morum*, et in hoc cum ethica convenit; tandem *principium vitae spiritualis* : non enim in mera contemplatione veri et boni sistit, sed, sicut ars, verum, bonum et pulchrum amore prosequitur et attingere nititur. Differt religio a philosophia, quia haec est praesertim *speculativa* et ad cognitionem tendit, illa est principaliter *practica* et ad amorem ultimo tendit; posterior experientiae et rationi innititur, prior traditioni et revelationi. Differt religio ab ethica, quia haec nullam aliam legem nisi naturalem agnoscit; dum religio, praeter legem naturalem, positivas leges admittit. Differt religio ab arte, quia haec pulchrum praesertim *sensibile* exprimere quaerit, directe ut oculis et aesthetico sensui *placeat*; dum religio moraliter pulchritudinem, vitae honestatem et sanctitatem non solum pingere sed etiam attingere nititur, ut inter Deum et hominem virtutibus ornatum intima sit unio. Religio igitur *objective* spectata definiri potest: complexus veritatum et officiorum quibus vita nostra in Deum ordinatur.

Subjective autem est fides in Deum, seu aliquod ens invisible et superius, quod legitimas hominis aspirationes explere valet, simulque tendentia in Eum praeterea non inconvenienter, sed ex veritate asserendum est eundem numero actum esse posse, pro vario respectu, et naturalem et liberum: ita Christus ex natura necessario Deum amavit actu charitatis, etiam quoad exercitium; sed tamen libere creaturas, et qui-

sertim per cultum et amorem. Ita Ad. Tanquery. (1)

Quae de religionis conceptu Angelicus senserit, ea, spatio hodie deficiente, ad proximum numerum delegamus.

REGINALDUS FEI O. P.

(1) *Synopsis Thol. Dog.* T. I c. I De conceptu, etc. Religionis.

DISPUTATIONES PHILOSOPHICAE

MODERNISTAM INTER ET THOMISTAM

Amor ultimi finis, seu boni in communi, est intrinseca actus naturalis, seu ex natura, licet in individuo possit esse liber.

MODERNISTA. — Supra dixisti, (1) amice carissime, sicut et electionis, ita et iudicij electionis, duo esse obiecta, eademque distincta, finem nempe et medium, quorum unum, scilicet finis, ratio est cur quis alterum, scilicet medium, velit. A te clarius audire et intelligere cupio quamnam connexionem inferat iudicium rationis de fine ad amorem eiusdem finis. Ubi enim amor finis naturalis fuerit et non liber, iam inter indicium rationis de fine amando ipsumque amoris actum necessaria connexionio habenda sane erit, quum tamen omnes passim sententiae profiteantur voluntatem remanere liberam quoad exercitium actus.

THOMISTA. — Omnes quidem passim tenent voluntatem remanere liberam in actus exercitio quoad amorem finis: quod et nos sane tenemus. Id tamen intelligatur oportet de libertate obiectiva et extrinseca, imo et de libertate intrinseca actus amoris in finem ultimum, ut est talis in individuo, seu reflexive: nul latenus autem de libertate actus amoris in finem ultimum formaliter, vel in bonum in communi, seu secundum substantiam acceptum, qui amor, etsi per accidens impediri possit, per se tamen est necessarius. Quod quo clarius appareat et demonstretur, nonnulla sunt praenotanda.

Imprimis notandum est ad libertatem non requiri ut voluntas sit libera circa finem: Deus enim se amat necessario, et tamen amat libere creaturas propter seipsum; haud secus necessario Beati Deum amant, non autem bona particularia: ita voluntas, etsi necessario amet bonum in communi, non amat tamen bonum particulare nisi ex determinatione libera, quia bonum particulare non infert connexionem necessariam ad illud.

Praeterea non inconvenienter, sed ex veritate asserendum est eundem numero actum esse posse, pro vario respectu, et naturalem et liberum: ita Christus ex natura necessario Deum amavit actu charitatis, etiam quoad exercitium; sed tamen libere creaturas, et qui-

(1) Cf. GATTI *Instit. Apol. pol.* v. 2, Diss. I. — PESCH *Fede, Dogma* II, (Trad. MANNUCCI).

(1) Cfr. an. XIV, n. xi, (mens. Novembr. MCMXI).

dem eodem actu, amavit ad merendum. Unde decretorie Angelicus: « In appetitu beatitudinis semper cum eo quod est naturale coniungitur aliquid voluntarium non naturale: et sic potest ibi cadere ratio meriti vel demeriti. » (1)

Additio quaedam sic esse naturaliter amabilia quoad specificationem actus, ut nec per se, nec per accidens, possint non amari: cuiusmodi est sola felicitas in communi in hac praesenti vita; quaedam vera sunt per se amabilia quoad specificationem, ita tamen ut per accidens dimitte possint, sicut v. gr. actus intelligendi qui propter somnum capiendum per accidens interrupitur.

His adde, actum amandi bonum considerari posse vel secundum substantiam actus, vel secundum circumstantias alias aut modos accidentales quibus individuatur, et sine quibus existere potest in rerum natura, licet non possit esse hic idem numero. Aliud quippe est amor boni sic sumptus absolute, aliud amor boni sub expresso conceptu ultimi finis, vel ut est ratio aliquid amandi v. gr. divitias, honores, quietem, etc.: ille quidem naturalis erit, iste liber. Ille quidem directus dicitur, et ante omne consilium et per se est, iste autem reflexus, ut consequens consilium de particularibus, in quibus non nihil boni in communi relucet.

Adverte demum actum dici posse liberum dupli modo: vel obiective, quia est de obiecto quod cadit sub imperio voluntatis, quodque quis potest et velle et nolle; vel formaliter et intrinsece, quia ex libero iudicio elicetur. Actus potest esse liber primo modo, et tamen altero modo necessarius, sicut actus videndi est liber primo modo, quia voluntas potest velle et nolle videndi actum; altero autem modo est necessarius, quia actus videndi ab oculo seu a facultate visiva necessario elicetur, seu non potest elici nisi a facultate videndi. Primus modus ad libertatem salvandam omnino sufficit, quum homo possit et videre et non videre.

Quibus praehabitis duo mente sedulo tenenda sunt: amorem scilicet boni directum et secundum substantiam sumptum, nunquam esse liberum intrinsece et formaliter; amorem vero boni esse liberum obiective seu imperative, quia voluntas facere potest ut intellectus ab eo se ad aliud convertat; vel etiam, supposita cognitione boni, huius boni amorem esse liberum ut hunc numero actum, non tamen boni vase sumptu. Id pluries more suo explanavit Angelicus. — « Quum electio, ait, sit quoddam iudicium de agendis, vel iudicium consequatur, de hoc potest esse electio, quod sub iudicio nostro cadit. Iudicium autem in agendis sumitur ex fine, sicut de conclusionibus, ex principiis: unde sicut de primis principiis non iudicamus examinantes, sed naturaliter eis assentimus, et secundum ea omnia alia examinamus; ita et in appetibilibus de fine ultimo non iudicamus iudicio discussionis vel examinationis, sed naturaliter approbamus propter quod de eo non est

(1) IV Sent. dict. 49, q. 1, a. 3, 1m,

electio, sed voluntas: habemus ergo respectu eius libera voluntatem, quum necessitas naturalis inclinationis libertati non repugnet, secundum Augustinum V. D. Cicit. Dei: Non autem liberum iudicium proprius loquendo, quum non cadat sub electione. » (1)

Ex qua doctrina nonnulla sponte eruuntur consectoria probe retinenda.

Quorum primum est istud, quod nempe actus necessarius consequitur iudicium necessarium naturalis instinctus; actus vero liber sequitur bonum ratione examinatum et consilio approbatum.

Alterum est istud: de principio inquirendi non esse quaestionem, sed illud omni inquisitioni praevertere et praesupponi: dum e contra consilium est examen quadam, cuius principium ex fine desumitur, unde finem praesupponit.

Tertium, nullam esse libertatem in iis, v. gr. brutis, quae non agunt ex deliberatione, seu voluntate deliberata et iudicio practico; sed esse in homine, qui agit iudicio practico, singulari, ultimo; unde actus liber in homine recte definiendus erit: inclinatio seu determinatio sequens consilium in bonum per rationem discutsum, examinatum et approbatum.

Quartum erit hominem moveri ad felicitatem seu ad bonum in communi, non quidem ex iudicio discussionis et examinis, sed ex determinatione naturae seu instinctus naturalis.

M. — Nonne tamen distinguendum est cum multis auctoribus, specificationem inter et exercitium, ita ut specificationem esse ab instinctu naturali, non autem exercitium, dicendum sit?

T. — Fatendum auctores plerumque ita opinari: sed, meo iudicio, plurima sunt addenda, imo et emendanda. Imprimis advertendum est Angelicum instinctui naturali tribuere non modo specificationem, sed et ipsum exercitium: « Non enim pertinet, ait, ad liberum arbitrium quod volumus esse felices »; (2) imo vult instinctum naturalem importare iudicium movens ad exercitium.

At praeterea intelligi vix potest qua ratione voluntas determinari possit ad speciem actus, quum tamen non determinetur simul in illum ut in perfectionem specificatam, ad quam natura ipsa determinatur et inclinatur. Ubi enim potentia ita determinatur ad speciem actus, ut non possit quandoque nec per accidens impediri ipsa inclinatio ad exercitium, praesente obiecto, pariter determinatur, eo imprimis quod species obiecti attingi nequeat nisi per actum.

Denique adverte, libertatem exercitii non esse nisi libertatem obiectivam, quae respicit exercitium sub indifferentia contrarietatis; libertatem vero specificationis esse intrinsecam formalem, a qua pendet electio, seu actus intrinsece liber.

Hisce tamen dimisis, id contendimus, quod nemper umerum.

(1) Verit. q. XXIV, a. 2, 20.

(2) 1^a, q. 19, a. 10.

per se nec cadat nec cadere possit sub discussione utrum bonum sit exercite amandum. Quod per se patere videtur.

Iterum istud patet, quod scilicet ubi impediri videtur exercitium amoris, atque sub discussione venit utrum hic et nunc melius sit amare exercite an potius dormire, id fieri nequit nisi ex amore boni directo, in quem sine consilio prodeat voluntas.

Hinc Angelicus perpetuo in hoc insistit quod consilium supponit voluntatem fundatam in amore finis, nec detur consilium de iis quae per se amabilia sunt, neque de iis quae per se a natura nota sunt. Deveniendum demum est ad aliquid quod sit per se actu et exercite amabile, absque ullo praehabito consilio, nisi velis in infinitum abire, quia si exercitium amoris boni esset ex consilio, esset etiam ex priori voluntate, quae si deberet esse ex priori consilio, illam praecederet et alia voluntas, et sic in infinitum: unde deveniendum sit ad amorem qui non sit ex consilio quoad exercitium.

Ita rursus Angelicus: « Nec necessitas naturalis repugnat voluntati: quin imo necesse est quod, sicut intellectus ex necessitate inhaeret primis principiis, ita voluntas ex necessitate inhaeret ultimo fini, qui est beatitudo. Finis enim se habet in operativis sicut principium in speculativis. Oportet enim quod illud quod naturaliter alicui convenit, ut immobiliter sit fundamentum et principium omnium aliorum, quia natura rei est primum in unoquoque. Et omnis motus procedit ab aliquo immobili..... Sumus domini nostrorum actuum secundum quod possumus hoc vel illud eligere: electio autem non est de fine, sed de his quae sunt ad finem. Unde appetitus ultimi finis non est de his quorum domini sumus ». (1)

Ex quibus patet, iudice Angelico, potentiam determinari remote et mediate quidem in obiectum, immediate vera et proxime in exercitium, siquidem obiectum attingitur ipso actu mediante. Inde voluntas dum actu habet finem ad quem natura inclinatur, exercite in eo quiescit; si non habet, exercite ad eum tendit.

Potest igitur voluntas impediri forsitan ex accidenti ne actu et exercitio in bonum tendat, sed non indiget impulsu ut in illud feratur, siquidem fertur ipsa natura pondere proprio, praesenti obiecto. In hoc nempe consistit disserimen inter ultimum finem in communi et bona particularia.

Ad amandum quippe finem, sufficit cognitio, ut in bonum cognitum voluntas vi et determinatione propria feratur: quoad bona autem particularia, seu quae amantur propter finem ut media, requiritur quidem, sed non sufficit cognitio, oportetque ut voluntas se moveat et applicet ad amorem efficacem.

Hoc rursus patet ex similitudine ab Angelico adducta intellectus assensum inter et voluntatis adhaesionem.

(1) 1^a q. 82, n. 1, et 3^m.

Intellectus quippe primis principiis, ex sola apprehensione terminorum, assensum praebet: haud secus voluntas ex sola apprehensione ultimi finis determinatur ad eiusdem amorem, nisi quid per accidens obstet.

Addit S. Thomas voluntatem esse naturam ad unum obiectum proinde et ad proprium actum et exercitium determinatam, quoad obiectum et finem suum primarium.

Adde hoc denique, iuxta Angelicum, omnem motum procedere ab immobili, unde necessario voluntas feratur in finem per actum intrinsece naturalem et necessarium, ex quo regitur ipsius mutabilitas. Hinc voluntas ad finem ultimum non se movet, sed movetur scilicet a Deo; se movet autem ad alia quae sunt ad finem contingenter.

In primo, inquam, amore boni voluntas non se movet, sed a Deo movetur; quoad bona vero particularia sese movet voluntas, sive per unum actum, v. gr. amorem finis ultimi, se ad alium actum moveat, nempe electionem finis, sive eodem actu velit simul finem et medium, nempe unum formaliter et aliud materialiter, unde virtualiter duo habentur.

Quae omnia paucis comprehendit Angelicus: « Deus movet voluntatem hominis sicut universalis motor ad universale obiectum voluntatis, quod est bonum. Et sine hac universalis motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc vel illud, quod est vere bonum, vel apparet bonum ». (1)

Haec tamen hodie sint satis. Ad proximum colloquium disputationem remittimus de libertate remanente incolumi, non obstantibus hisce de determinatione ad exercitium dictis.

I. I. B.

(1) 12^{ae}, q. 6, a. 6, 3^m.

De sonis ac poëtica apud veteres Graecos

Hic est voluminis index, quod Hector Romagnolius, Italicus doctor, superiore edidit anno, quodque nonnullis e scriptis, partim iam antea, partim nunc tantum in lucem prolatis, constat. Quae quidem in eo eruditissimus ac clarissimus vir, Graecarum litterarum decus, vel quaevisserit vel disseruerit, huic de ingenuis artibus humanitateque bene merito commentario tradere nobis in animo est. Nostra enim verba, si quidem legentium animos non oblectent, quippe quae inornata atque inelegantia, singularis tamen, ut spero, delectationis studium excitare fortasse poterunt in animis eorum, qui librum de quo agimus nunquam legerint vel omnino ignoraverint.

Namque ex hoc libro quae sit illa Graecos Latinosque scriptores per voluntandi pernoscendique ratio recens ac voluntas discere possumus, magistri atque

exempli conspicui gravitate auctoritateque confirmati. Non equidem, ut multis videtur nostrae aetatis viris eruditissimis, omnis cura et diligentia ponenda est in investigationibus quaestionibusque plerumque aridis atque abstrusis, scilicet scriptorum in locis corruptis emendandis, vel in dubiis interpretandis, vel in lacunis explendis syllabisque fere aucupandis. Sed quae illi veteres Graeci ac Romani de vita moribusque, ac praesertim de litteris senserint, quae in omni rerum genere invenerint et creaverint, penitus sunt perscrutanda perspiciendaque. Quibus in pvestigationibus optimorum studiorum vis ac momentum haeret atque habitat. Quid enim ad nostrae aetatis cultum humanitatemque tot de Graecis Latinisque litteris studia atque elucubrationes conferunt, si et ipsis rerum antiquarum cognitio omni ex parte expleta non colligitur? Quid valet nocturna diurnaque manu Graecos ac Latinos libros versare, si ipsorum populorum vita illis ex libris non exprimitur, paene dicam effoditur, ac quasi recreata clarissimo lumine non illustratur? Cur illarum litterarum insignia monumenta in italicum nostrae aetatis sermonem quam elegantissime rectissimeque non convertuntur vel, recentium studiorum luminibus adhibitis, ornate copioseque non explicantur? Quod quidem pauci ex nostris suscepere, quum parum utilitatis, ne dicam dignitatis, habere plurimis videatur. Numquid de Graecarum Latinarumque litterarum historia illos quos apud Gallos ac Germanos admiramus undique absolutos omnique laude cumulatos libros composuimus? Quae quum ita sint, cur ab huiuscemodi operibus abhorremus? Illane mediocribus ingenii digna putantur floccive habentur? Omnino quidem verum est nobis quodammodo obici posse, quae Cicero de eloquentia seripsit: «Omnium magnarum artium sicut arborum altitudo nos delectat, radices stirpesque non item, sed esse illa sine his non potest». At nos obicientibus respondebimus: «Pergite sane, ut facitis, in grammaticis studiis quaestionibusque, vetustissimos codices eorumque familias compulsate, optima veterum scriptorum edite exemplaria, sed huiuscemodi ex laboribus fructus decerpere ne recusaveritis. Quandam enim vim doctrinamque ex illis auctoribus depromere licet, quae ingenia maxime Italorum alere possit».

At iam longius a re proposita abire videmur; ad eam igitur revertamur, quaeque Romagnolius de adhbitis apud veteres Graecos sonis ac vocibus disputaverit primum attingamus.

Magna igitur de musicis apud Graecos ac diu vexata inter doctos fuit quaestio quae, quoniam ad extitum nemo adducere potuit, velut obscurissima atque inexplicabilis neglecta fuerat. Qua re ex vetustissimis quae exstant monumentis, illis quae novissime sunt reperta non exceptis, aliquid suspicari et colligere omnium prope eruditorum consensu insanum vel aegri somnium videbatur. Quae contra de musicis praecepta

nobis sunt tradita, ad perspiciendos atque interpretandos veterum Graecorum qui exstant modos nonnihil conferunt. Nam qui in eorum studio penitus versatus erit ac rem altius animadverterit, plurimas maximique momenti quaestiones inveniet nostrorumque temporum musicorum arte quodammodo proficiet. Utrumque Romagnolius feliciter explanavit.

Is enim ab illis pastorum inconditis carminibus, quibus Troiae rupes vel Arcadiae valles nemoraque Baeotiae antiquissimis temporibus, resonarunt, initium faciens, sonorum concentus, testudine fidibusque inventis, originem explicat. Deinde pro sua artis musicae peritia et fidium et modorum singulis temporibus vices cursusque describit, deque chordarum numero notisque musicis adiunctis varieque permutatis disserit usque ad Alypianas tabulas, quarum rationem ac viam aperit. Qua re vetustissima illa musicorum monumenta, usus cuiusdam tituli in marmore incisi exemplo, nos explanare docet.

Postquam autem Orph i caput a Trachiniis obrutum etharaeque confictum per Aegeum Lesbum navigasse strictim narravit et ceteras fabulas, quae de musicorum incunabulis traduntur poëtico quodam colore breviter perstrinxit, de versuum origine sibi tractandum auctor opinatur vinculumque explicandum quo, velut cognatione quadam, musica ac poëtica initio inter se contineantur. Primum enim modi ac verba disiuncta fuere, velut si e diversis animi facultatibus originem traherent; deinde coniuncta atque altera alteris superimposita sunt ita ut versus exstiterint. Ex quibus vero, aetatis progressu syllabarumque clariore distinctione, ad perfectionem ductis schemata musica colligere licuit numerorumque explicatio singulis aetatibus nobis redundare potuit. Quae quidem numerorum explicatio maximi momenti est quod ipsorum vis a nostrorum temporum ratione naturaque longe differt. Non autem operum musicorum exstantium inopiam esse deflendam Romagnolius observat praesertim post ea nuper inventa; sed illa rectius esse interpretanda atque ordine temporis servato animadvertisca. Qua re ipse musicae artis historiam perbreviter persequitur.

**

Cuius quidem artis incunabula adumbrata conditaque accepimus ex illis fabulis, quas de Orphei caede a mulieribus facta, de ipsis bacchantibus, de Apollinis et Marsyae, de Olympi Silenique certaminibus narrant poëtae. Quibus ex fabulis inter duo illius artis genera diuturnam, ut videtur, contentionem fuisse deducere possumus. Quum autem e fictis rebus ad historiam quae vere proprieque dicitur venimus, Timotheum rerum instauratorem exstitisse animadvertisca.

Postea illa nobilissima ars per saecula duo omnino tacuit usque ad *Delphicos hymnos*; quibus duo diversa genera conciliari consociarique videmus, non ut miscantur, sed alterum alteri superimponatur haud dissimili ratione qua Calamidis artis elegantiam ac nitorem

Myronianamque vim ex Phidiae et Praxitelis et Scopadis signis simul spirare admiramur. Hic, ut par erat, musicorum vices in Italia Romagnolius narrat. Namque illa ars, Graecia a Romanis subiecta, migravit Romanum, qua quidem aetate minora genera floruerent et tres hymni Calliopis, Nemesis et Solis honori sunt conditi, qui *diatonicum*, quod dicunt, genus certaminis victorem confirmant.

Auctor autem ad institutam rem revertitur, musicaque, ut Nilus Aegyptum, poëticam nobis quodammodo donavisse affirmat. Nam huius generibus formam et quasi vestem illa dederunt: spiritum enim impletumque lyricis ab origine inflavere ipsisque Graeci quorundam heroum vitam moresque mente atque animo comprehenserunt, ex quo tragicum carmen profluit. Hic demum in causas inquiritur cur apud Graecos, musicis tamquam defatigatis iacentibus, carmen lyricum et tragicum maxima ubertate viguerint.

Qua re pervestigata, aliam aggreditur auctor. Nam quae Estevius in fabulis tragicis musicen effecisse ac renovasse ostenderit breviter disputat. Quam quidem disputationem eamque in eodem volumine sequentem de aliquot hellenicis popularibus carminibus a Georgio D. Pachtikos collectis editisque omittimus, ut ad aliam maioris ponderis rem transeamus.

* * *

Difficillimum enim scopulosumque, ut communi inter doctos consensu habitum fuit, Romagnolius sumpsit munus explicandi veterum quae exstant comicorum poëtarum fragmenta, ut nova clarissimaque luce antiquam Graecorum comoediam illustraret. Rem igitur immensam ac paene infinitam aggressus, quasdam personas, quas ab Aristophaneis fabulis nunquam acceptipimus, indicavit ac nonnullos reliquorum poëtarum locos italicis numeris adstrinxit. Itaque de illa quam fabulae tradidere aurea aetate quid veteres poëtae comicci (Aristophane non excepto) senserint quave colorum varietate pinxerint, accipere possumus. Ut autem illarum, quas diximus, reliquarum auctores nomina eorumque facta deriserint, ut comoediarium tragediarumque scriptores, ut musicae artis restitutores, ut suae aetatis viros reipublicae praepositos vexaverint atque exagitaverint, ut denique nonnulla artis scenicae exemplaria in obscenos risus deflexerint, e libro de quo agimus plane ac mirum in modum cognovimus. Quae quidem omnia haud in promptu erant, ne dicam ignorata.

Praeterea quam primus Zielinskius rem demonstrare est conatus Romagnolius aggreditur. Ille enim veterum comicorum operibus fragmentisque perpensis atque animadversis, quandam ex fabulis popularibus fictam et conflatam comoediam Athenis fuisse arbitratus est, cuius, quibusdam exemplaribus restituendis periculum fecit.

Quod vere quum inanem conatum e mentis nimia celeritate quodammodo partum ipse existimet, tamen

contendit eiusmodi pervestigationem ad maximum quendam fontem reperiendum nonnihil contulisse, ex quo illa prisca Atticorum comoedia vim ac vigorem hauserit.

Ab arte autem scenica non aberrans, Romagnolius de genere illo litterarum agit, quo Philistio apud Graecos, Decimus ac Laberius apud Romanos, inclaruere, quodque rerum ecclesiasticarum scriptoribus adversantibus restitit. Primum enim postquam eruditissimum Hermanni Reichii volumen quam paucissimis adstrinxit, quaedam, praesertim quod attinet ad comoediam quae vulgo *dell'arte* dicitur, accurate animadvertisit. Deinde in quibusdam papyris detectam fabulam refert eiusdemque locos quosdam in italicum sermonem vertit. Qua quidem fabula Reichii sententia comprobari videtur clarissimaque lux in quaestione fit obscurissima ac paene abstrusa.

Lectori autem librum per volutanti dissertatione obvenit de elegiacis poëtis, qui ante Callimachi aetatem fuerunt. Qua dissertatione et Hermesianactis et Phanoctis et Alexandri Aetolici aliquot paene incognita carmina italicice redditia admiramur, sed etiam de Antimachi et Philetae ingenio operibusque novum iudicium accipimus.

Nam et Antimachus, quum eruditorum prope communis sententia aetatem quae Alexandrina appellatur praenuntiare videatur, in novissimis vetustorum scriptorum Romagnolii iudicio adnumerandus, et Philetas primus ex eruditissimis Alexandrinorum poëtarum censendus est.

Hic vellem eadem dicendi uti facultate ac clarissimus auctor, ut summatim et iisdem fere verborum sententiuarumque luminibus dissertationem attingerem, qua Graecorum sensus opinionesque in singulis aetatis descriptis. Sed viribus meis hoc munus longe iniquum apparuit.

Ubi enim elocutionis nitorem splendoremque, ubi verborum constructionem ac numerum invenirem? Unde autem iudicium electionemque haurirem qua verba sententis quasi demensa et paria responderent? Unde elegantiam munditiamque, unde ornatum illum suavem et affluentem, quo haud multo secus quam a poëtis est servandum orationis genus, deducerem? Non equidem solum perfectionem illam meis verbis adsequi posse, sed ne ipsius quidem conatum adumbrationemque sum confisus.

Item de rebus, quas in reliquis disputationibus tractavit quidquam exquisitus dici posse non credo. Quarum disputationum notae formulaeque difficile quaeruntur. Optimum igitur puto, quod est librorum explicatoris, huiuscce Commentarii lectores ad ipsum librum adeundum incitare, cuius speciem ac formam vix adumbrare sum conatus. Quod si quis ad ornatissimas illas paginas revolvendas sit permotus, hoc me tantum valde iuvabit.

Cavae Tyrrhenorum, mense Ianuario MCMXII.

IANUARIUS DE FILIPPIS.

Ludi puerorum apud Italos

RANA.

Adsumt in acie duo, tres vel quatuor pueruli, quinque ad summum, qui ordine simul decentant, ludentes par impar, de iocis feliciter auspicandis. Ludus, quem nunc adgressuri sunt, italicice vulgo *Rana* appellatur, et plerumque, ut opinor, viget tantummodo apud Subalpinos, qui eum *Cirimella* adpellitare consueverunt.

Haec summa est ludi. In medio stant baculi duo, rudes adhuc atque agrestes; quorum alter longior, alter vero brevissimus leviterque expolitus.

Nihil est tamen quod timeas, mitissime lector. Nec enim in te, neque in adversarios uterque baculus est adhibendus. Cum bonis auspiciis rem incipes, si primus ludum sorte ingredi poteris.

Qui primum locum obtinuit, ad metam adsignatam se confert, dextera manu baculum longiorem gerens. Ore vultuque ferox apparet, quem optime cum Hercule facile compones, qui olim « instruxit manum clavae victrice ferarum. » Baculus vero brevior in latere quodam ponitur, vel lapide, qui meta quoque rectissime dici potest.

Adversarii autem hic atque illuc dilapsi, intentis oculis atque brachiis studiose exspectant donec ludi magister incipiat. Ille, uti dux copiarum facere solet, tacitus vagatur adspectu visusque per omnia dicit; tunc fortiter atque secure exclamat: « Incipiam? » Cui omnes respondent: « Admodum! » Tunc paulisper incurvus leviorum baculum totis nervis percudit, qui in orbem per aërem volitans, ex more ranarum, perquam longissime vadit. Adversarii vero curant ut frustulum hunc ligneum adhuc per aërem volitantem manibus accipient. Si id feliciter obtinetur, vicit hic inter suorum invidiam, ad metam rapide pergit, et iterum ludum incipit. Sin autem humi libere cecidit hic vel ille ex parte adversa hunc frustulum ea arte ad metam iacere debet, ut eam pertingat, ibique maneatur. Dux e contra baculo studeat id prohibere, eumque iterum volitantem repellat et pro viribus a meta arceat. Qui metam sic occupabit tenebitque, neque adversarius scite repulerit, ipse ludum iterum dirimet. Hic fervet pugna, hic vera omnium lucta viriumque palaestra, « trepidique pedem pede fervidus urget! »

Dux ludi altero baculo frustulum percudit, ita tamen ut aliquantis per ex terris sublatum fortiter baculo tangat, et etiam atque etiam longius impellat. Si ad centum mensuras pervenerit, hic ex certamine primus superior decedit.

Verum adversarii in eo stant, ut frustulum ita percutsum vel impedian, vel manibus accipient. Quod si frustra facere conati sunt, et princeps vicit evasit, tunc ei datur facultas mensuras colligendi cum baculo ex novissimo loco usque ad metam. Videat tamen ne sit abundantior in adiudicandis sibi mensuris! Namque

si pro quinquaginta erunt modo quadraginta novem tandois tunc inferior cedit et baculum ei permittit, qui sortil proximum locum obtinuit.

Hic vero omnia iterum sumit; et sic omnes, unus post alium, donec numerum mensurarum absolvant.

Et qui erunt victoriae fructus? Rem verius exponam. Quae erit iacturae poena? Qui omnium inferior evasit, hanc poenam subire debet. Hinc inde socii victores alacres festinantesque sistunt, *Io triumpha!* exclamantes, et inferior — ut olim « incedunt vietae longo ordine gentes! » — inter suos transire debet, quem alii manu sudariolum tenentes nodis confectum, alii manibus leviter atque iocose pereutiunt. Poena satis levis; non levis autem confusio.

Hoc ludorum genus, iamdiu maxime in usu apud Subalpinos, in mentem mihi nuper revocavit Dominicus Savio, alumnus olim meus dulcissimus, quem Ioannes Bosco sacerdos nobis optime narravit in commentario in vulgus edito, omnibus intelligentissimi iudicii viris adprobatissimo. Hic enim saepe saepius, quo facilius amicos ad se alliceret, segniores potius laetioresque, suis prope desideriis neglectis ac posthabitatis, se se alienis aptabat, sieque ad virtutes ducebatur.

Vide, sis, quo sancto studio ipse flagraret in Deum atque in amicos; et qua arte nobis hunc tot artium puerulum ob oculos proposuerit.

SUBALPINUS.

TRIPOLIS ITALICA


*Italicis armis Tripolis quacunque subacta
Est iterum in nostra, iure sacrante, manu.
Victrices illuc aquilae strepore latinae
Horrisonis alis praepetibusque diu.
Nunc etiam gliscens Italorum bellica virtus
Barbaricas turmas impete fregit ibi;
Fregit saevo, acri longo certamine victas,
Inque fugam vertit terque quaterque citam.
Turcae vi fusi effreni pa'ntur in agros,
Rursum se glomerant convenientque simul.
Mox infesti erumpunt, constricti agmine denso,
Vementique omnes impete castra petunt.
Itala sed victrix furia mente iuventus
Excipit, ob istit, disiicit, ense premit.
Tormentis late ignivonis nunc terra resultat,
Quorum ictus implent cuncta cadaveribus;
Nunc crebrum armorum crepitum vicinia mittit,
Passim ubi densantur funera funeribus.
Bellum hoc barbariae fit, nostra ad iura tuenda,
Quae probro Europae (proh pudor), exstat adhuc!*

VITUS VACCARO.

INDURATAE NIVES IN ALASKA PENINSULA

«Quum latet adstricto terra perusta gelu» talia etiam tum offert natura admiranda spectacula, quae ex

Muiranae glacies, — quae a Muir, in California physices eximio doctore, nomen deduxerunt, — sub ponto quadringentos pedes merguntur, earumque adspectum, tum maxime quum sol renidet, nemo est qui describere valeat; aiunt enim ad vesperum irides innumeratas inibi apparere aliam cum alia consertam, imo contextam,



Induratarum nivium in Alaska provincia prospectus.

ipsa imagine per lucem impressa mens sibi effingere cogitatione haud facile possit.

En vobis, lectores humanissimi, Muiranae glacies in Alaska peninsula; sublimes equidem terribilesque visu. Montes ad sexdecim usque millia pedum in altitudinem attolluntur, quorum per valles imbelli flumen lente discurrit, cui naturalis ex glacie pons imminent ad mille et quingentos passus latus. Ulterius, hoc flumen quinque induratarum nivium minoribus molibus alitur, naviculisque vapore actis transitum perhibet, quae sive piscescandi causa, sive ad curiosos viatores eousque traiiciendos itineris illius periculum ingrediuntur. Periculum diximus; glacies enim suapte natura plus minus que indesinenter procedunt, imparique intervallo eo fragore ac ruina decidunt, ut cum tormentorum bellicorum explosione comparari haud iniuria queant. Cuius tonitus, casu immanum illarum coacervationum eductus ac fere perennis, cum fragore horrende conspirat e profundo manante ob ingentissimum immanis huius glaciei cumuli compressum in rupes, intra quas gelidus torrens ad oceanum pergit.

Per flumen ipsum glaciei pondera e centrali mole avulsa (*icebergs vulgo nuncupantur*) innatant frequentia, aut rutilantia sole, aut perturbato caelo fusca; in mari enim tantum liquescunt.

montesque prismatis omnigenum colorum coruscantes; portentosum spectaculum omnino, ac paene divinum!

EX POLONIA

De "Doctrinarum Societate", Varsaviae condita.

Nescio, an res, quae arctissime cum doctrinarum natura et progressu cohaeret, coetui virorum doctorum extra Poloniae fines sit cognita. De « Doctrinarum Societate Varsaviensi » dico, quae vi legis de societatibus ad « culturam » promovendam formandis anno MCMVI latae, iam anno MCMVIII Varsaviae condita, sequentibus tribus annis, gravibus conditionibus obstantibus, iam tamen vim magnam explicuit atque demonstravit, quanto altiorem etiam gradum ascendere posset, si sedem, quae ei deerat, propriam liberam haberet. Quae res, quum cives non solum ingenti gaudio, sed etiam proba superbia affecisset, opulentorum nobilium civium animum excitavit, ut illud grave obstaculum doctrinis atque ingenii Polonorum removeret.

Removit quidem Iosephus comes Potocki, qui hoc merito praeclaro nomen suum ornavit; magnificas enim

aedes, sumptibus suis erectas recenti « Doctrinarum societati » dono dedit, dicavit. Quae praestans sedes, ubi Polonorum animus et ingenium vestigia laboris, indolis, efficacitatis iam libere et lubenter et, ut est Polonorum nota facultas, copiose exprimere poterunt, mense Novembri anni elapsi ab episcopo varsaviensi Ruskievicio est consecrata.

Sollemnitas peracta est praesentibus plurimis omnium ordinum civium doctrinis et litteris exultorum, qui post ceremonias factas, omnes invitati sunt, ut primae « Doctrinarum societatis » membrorum aeroasi, adessent. Quam aeroasim aggressus est ipse nobilissimus largitor, (patronus iam « Societatis » una voce, uno ore declaratus), insigni oratione, qua, postquam gratias excellentissimo episcopo pro consecratione domui imperita egit, quum de munere atque fine « Societatis » egregie dissereret, cum multa alia, tum haec distinete et praecclare protulit: « Doctrina veluti vitae stella est, quae quum lucet, lapsurum quemque erigit et sustinet, quaeque praepotens est conservatrix populi immortalitatis. Sed incrementum eius atque progressum duabus partibus praecipue congruentem et concinentem esse oportet, cognitione rerum externarum vel corporalium, et cognitione rerum ab omni (ut Cicero ait) concretione segregatarum vel animi. Quae congruentia et concinentia maxime necessariae, speramus fore, ut semper in sinu atque progressu huius « Societatis » obseruentur. Neque minus persuasum nobis est nunquam in his aedibus revicturam esse illam obsoletam superstitionem, quae alteram doctrinam altera contemni aut opprimi iubet, id quod est despicere rem ignotam et est doctorum hominum ea, quam celeberrimus ille Sniadecki noster vehementissime abhorrebat, barbaries ».

Quam praeclara, quam ingeniosa verba!

Doleo, quod totam illam honestissimi viri orationem repetere non possum. Qua oratione habita, atque profunda et venerabi cum attentione exaudita, totum atrium claris diuque non silentibus plausibus personuit. Silentio autem restituto, statim etiam recentia vestigia doctorum studiorum a viris duobus sunt prolata. De rerum publicarum scriptoribus « anonymis » exeuntis saeculi XVIII disseruit clarus vir historicus Vladislaus Smolenski, de « materia stata » grandiloqua oratione Sigismundus Weyberg.

Res omnis, communi membrorum « Societatis » convivio absoluta, cunctorum animis invictam atque gratissimam memoriam impressit.

Varsaviae Polonorum.

JOSEPHUS WABNER.

Nemo mihi videtur pluris a estimare virtutem, nemo illi magis esse devotus, qu m qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam proderet.

SENEC., Epist., VIII.

ACTA PONTIFICIA

I.

CONSTITUTIO APOSTOLICA

de nova Ecclesiasticae hierarchiae in Anglia ordinatione.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Si qua est in universo orbe christiano ecclesia, quae peculiarem Apostolicae Sedis curam providentiamque mereatur, ea sane est Anglorum ecclesia; quam quidem a Sancto Eleutherio felicibus apud Britannos initii adauctam ac deinde a Gregorio Magno per apostolicos viros felicius constabilitam innumerabiles prope filii deinceps nobilitarunt vel vitae sanctimonia illustres, vel fortiter oppetita pro Christo morte paeclarissimi. Id Nos Nobiscum animo reputantes, qui sane non minus benevolentiae studium erga Anglorum ecclesiam fovemus, ecclesiasticam ibi hierarchiam, quae hodie, postquam restituta est, una tantum provincia continetur, melius componere statuimus atque illa addere quae in magnum animarum bonum reique catholicae incrementum facile cederent, nempe duas novas ecclesiasticas provincias constituere decrevimus.

Hisce itaque Nostris litteris novas ecclesiasticas provincias *Birmingamiensem* et *Liverpolitanam* constituimus. Tres propterea in posterum ecclesiasticae provinciae in Anglia erunt: *Westmonasteriensis*, cui suffragabuntur ecclesiae Northanthoniensis, Nottinghamensis, Portsmouthensis et Southwarcensis, prout antea; *Birmingamiensis*, cui suffraganeae erunt ecclesiae Cliftonensis, Menevensis, Neoportensis, Plymuthensis et Salopiensis; *Liverpolitana* denique, quae suffraganeas habebit ecclesias Hagulstadensem - Novocastrensem, Loidensem, Medioburgensem et Salfordensem. Insuper Archiepiscopo *Westmonasterensi* pro tempore existenti novae quaedam accendent ad regiminis actionisque unitatem servandam praerogativa, quae tribus hisce capitibus continentur, nempe: 1.^o Praeses ipse erit perpetuus collationum episcopalium totius Angliae et Cambriae; ob eamque rem ipsius erit conventus indicere eisque praeesse iuxta normas in Italia et alibi vigentes; 2.^o Primo gaudet loco super aliis duabus Archiepiscopis nec non pallii et cathedrae usu atque praeferae crucis privilegio in universa Anglia et Cambria; 3.^o denique totius Ordinis Episcoporum Angliae et Cambriae regionis personam ipse geret coram supra civili potestate, semper tamen auditis omnibus Episcopis, quorum maioris partis sententias sequitur. *Birmingamiensis* autem et *Liverpolitana* Archiepiscopi iisdem prorsus gaudebunt privilegiis.

et iuribus, quibus in catholica ecclesia ceteri Metropolitani pollent. Speciali autem ex gratia atque in maioris Nostrae benevolentiae signum benigne indulgemus, ut his ipsis nostris litteris, quibus novae provinciae eriguntur, Revni. Eduardus Isley, hucusque Birmingamiensis Episcopus, et Thomas Whiteside hactenus Liverpolitanus Episcopus, eorumdem sedium ad metropoliticum ius erectarum Archiepiscopi sint absque alia ulla Apostolicarum litterarum expeditione. Ad horum omnium autem executionem Rnum. Franciscum Bourne, hodie Archiepiscopum Westmonasteriensem, deputamus, qui adimandi mandati sui postea testimonium et exemplar ad Sacram Congregationem Concistorialem transmittet.

Porro in hac nova Angliae Dioecesum constitutione quaedam alia pro opportunitate, seu prout experientia animarumque bonum suggesserit, ulterius statuenda Nobis reservavimus. Sed quae hisce litteris in praesens statuuntur, satis valere nunc ad rei catholicae in Anglia utilitatem atque incrementum censemus, bona spe confisi fore, ut quod heic humano peragitur ministerio, Deus Omnipotens perficiat ac solidet; atque inde fiat, ut in Anglia nobilissima sanctorum altrice vetera sanctitatis exempla felicius instaurentur.

Haec vero edicimus et sancimus, decernentes has nostras litteras validas et efficaces semper esse ac fore, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis generalibus et specialibus, ceterisve quibusvis in contrarium facientibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo nongentesimo undecimo, V kalendas Novembres, Pontificatus Nostri anno nono.

A. CARD. AGLIARDI

S. R. E. Cancellarius.

C. CARD. DE LAI

S. C. Consistorialis Secretarius.

II.

RUBRICA E

In recitatione Divini Officii et in Missarum celebratione servandae ad normam Constitutionis Apostolicae «Divino afflato».

TITULUS I.

*De ratione Divini Officii recitandi
iuxta novum Psalterii ordinem.*

1. In recitatione Divini Officii, iuxta Romanum Ritum, Psalmi quotidie sumendi sunt, ad singulas Horas canonicas, de occurrente hebdomadae die, prout distribuuntur in Psalterio noviter disposito; quod deinceps, loco veteris dispositionis, in novis Breviarii Romani editionibus vulgandum erit.

2. Excipluntur tamen omnia Festa Domini eorumque integrae Octavae, Dominicæ infra Octavas Nativitatis, Epi-

phaniae, Ascensionis et Corporis Domini, Vigilia Epiphaniae et Feria VI post Octavam Ascensionis, quando de eis persolvendum sit Officium; itemque Vigilia Nativitatis ad Laudes et ad reliquias Horas minores usque ad Nonam, et Vigilia Pentecostes; nec non omnia Festa Beatae Mariae Virginis, SS. Angelorum, S. Ioannis Baptiste, S. Ioseph et SS. Apostolorum et Duplicia I et II classis, eorumque omnium integrae Octavae, si de eis fiat Officium, quod recitandum erit prout assignatur, vel in Breviario, vel in Proprio Dioecesis vel Instituti, hac lege tamen ut Psalmi ad Laudes Horas et Completorium semper sumendi sint ex Dominica, ut in novo Psalterio; ad Matutinum vero et ad Vespertas dicantur ut in Communi, nisi speciales Psalmi sint assignati. — Tribus autem ultimis diebus maioris hebdomadae, nil erit innovandum, sed Officium integre persolvendum erit, prout nunc habetur in Breviario, sumptis tamen ad Laudes Psalmis de Feria currenti, ut in novo Psalterio, excepto Cantico Sabbati Sancti, quod etiamnum est «*Ego dixi: In dimidio*». Ad Completorium sumantur Psalmi de Dominica, uti in novo pariter Psalterio.

3. In quolibet alio Festo Duplici, etiam maiore, vel Semiduplici, vel Simplici, et in Feris Tempore Paschali semper dicantur Psalmi, cum Antiphonis in omnibus Horis, et Versibus ad Matutinum, ut in Psalterio de occurrenti hebdomadae die; reliqua omnia, et Antiphonae ad *Magnificat* et *Benedictus*, ut in Proprio aut Communi. Quod si aliquod ex Festis huiusmodi proprias vel peculiariter assignatas habeat Antiphonas in aliqua Hora maiori, eas in eadem ipsa retineat cum suis Psalmis, prout habetur in Breviario: in ceteris Horis Psalmi et Antiphonae dicantur de Feria occurrente.

4. Lectiones ad Matutinum in I Nocturno semper legendae erunt de Scriptura occurrente, licet aliquando in Breviario Lectiones de Communi assignentur, nisi sit Festum Domini aut Festum cuiusvis ritus B. Mariae Virginis, vel Angelorum, vel S. Ioannis Baptiste, vel S. Ioseph, vel Apostolorum, aut Duplex I vel II classis, aut agatur de Festo, quod vel Lectiones habeat proprias, non vero de Communi, vel occurrat in Feris Lectiones de Scriptura non habentibus, ideoque Lectiones de Communi necessario recipiat. In Festis vero, in quibus hucusque erant Lectiones de Communi, Responsoria vero propria, retineantur eaedem Lectiones cum propriis Responsoriis.

5. Porro sic erit persolvendum Officium in Festis Duplicibus et Semiduplicibus superius non exceptis:

Ad Matutinum Invitatorium, Hymnus, Lectiones II et III Nocturni ac Responsoria trium Nocturnorum propria, vel de Communi: Antiphonae vero, Psalmi et Versus trium Nocturnorum, nec non Lectiones I Nocturni de Feria occurrente.

Ad Laudes et ad Vespertas Antiphonae cum Psalmis de Feria; Capitulum, Hymnus, Versus et Antiphona ad *Benedictus* vel ad *Magnificat* cum Oratione aut ex Proprio, aut de Communi.

Ad Horas minores et Completorium Antiphonae cum Psalmis semper dicuntur de occurrente Feria. Ad Primam pro Lectione brevi legitur Capitulum Nonae ex Proprio, vel de Communi. Ad Tertiam, Sextam et Nonam Capitulum, Responsorium breve et Oratio pariter sumuntur vel ex Proprio, vel de Communi.

6. In Officio S. Mariae in Sabbato et in Festis Simplicibus sic Officium persolvendum est: ad Matutinum Invitatorium et Hymnus dicuntur de eodem Officio vel de iisdem Festis; Psalmi cum suis Antiphonis et Versu de Feria occurrente; I et II Lectio de Feria, cum Responsoriis propriis, vel de Communi; III vero Lectio de Officio vel Festo, duabus Lectionibus in unam iunctis, si quando duas pro

Festo habeantur: ad reliquas autem Horas omnia dicuntur, prout supra, n. 5, de Festis Duplicibus expositum est.

In Feriis et in Festis Simplicibus Psalmi ad Matutinum, qui in novo Psalterio in tres Nocturnos dispositi inveniuntur, dicantur sine interruptione cum suis novem Antiphonis usque ad tertium Versum inclusive, omissis Versibus primo et secundo.

TITULUS II.

De Festorum praestantia.

1. Ut recte digneatur quale ex pluribus Officiis sit praestantius et proinde sive in occurrentia, sive in concurrentia, sive in ordine repositionis aut translationis preferendum, sequentes praestantiae characteres considerandi sunt:

a) *Ritus alter*, nisi occurrat Dominica, vel Feria, vel Octava privilegiata, vel etiam quaelibet dies Octava iuxta Rubricas.

b) *Ratio Primarii aut Secundarii.*

c) *Dignitas Personalis*, hoc ordine servato: Festa Domini, B. Mariae Virginis, Angelorum, S. Ioannis Baptistae, S. Ioseph, SS. Apostolorum et Evangelistarum.

d) *Sollemnitas exter*. a, scilicet si Festum sit feriatum, aut celebretur cum Octava.

2. In occurrentia, et in ordine repositionis aut translationis, alias quoque character considerandus est, nempe:

e) *Proprietas Festorum*. Dicitur Festum alicuius loci proprium, si agatur de Titulo Ecclesiae, de loci Patrono etiam secundario, de Sancto (in Martyrologio vel in eius appendice approbata descripto), cuius habetur corpus vel aliqua insignis et authentica reliquia, vel de Sancto, qui cum Ecclesia, vel loco, vel personarum coetu speciale habeat rationem. Igitur Festum quodvis istiusmodi proprium, ceteris paribus, praefertur Festo Universalis Ecclesiae. Excipiuntur tamen Dominicae, Feriae, Octavae et Vigiliae privilegiatae, nec non Festa primaria Duplicia I classis Universalis Ecclesiae, quae uniuscuiusque loci propria considerantur et sunt. Festum autem Universalis Ecclesiae, cuiusvis ritus, quia est praecettivum, ceteris paribus, praeferti debet Festis aliquibus locis ex mero Indulto S. Sedis concessis, quae tamen propria, sensu quo supra, dici nequeunt,

TITULUS III.

De Festorum occurrentia accidentalis eorumque translatione.

1. De Dominicis maioribus I classis, quodvis Festum in eis occurrat, semper faciendum est Officium: Dominicae vero II classis cedunt tantummodo Festis Duplicibus I classis, quo in casu de Dominicis fit commemoratio in utrisque Vesperis, Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum.

2. De Dominicis minoribus, seu per annum, semper fieri debet Officium, nisi occurrat Festum quodcumque Domini, aut aliquod Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu in Officio Festi vel diei Octavae fit commemoratio Dominicae in utrisque Vesperis et Laudibus et Missa cum IX Lectione ad Matutinum. Si Dominicana infra Octavam Nativitatis occurrat in Festo S. Thomae Ep. M. aut in Festo S. Silvestri P. C., fit Officium de ipsa Dominicana cum commemoratione Festi occurrentis; quo in casu die 30 Decembris, in Officio diei infra Octavam, Lectiones I et II Nocturni sumuntur e Festo Nativitatis, cum Responsoriis Dominicanae. Quoad Dominicam vero, quae occurrit a Festo Circumcisionis usque ad Epiphaniam, nihil innovetur.

3. Duplicia I et II classis, quae seu ab aliqua Dominicana maiori, seu a nobiliore Officio impediuntur, transferenda sunt in proximiorem insequentem diem, quae libera sit ab alio Festo Duplici I vel II classis, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus; salvo tamen privilegio a Rubricis concessa Festivitatibus Purificationis et Annuntiationis B. M. V., nec non Commemorationis sollemnis S. Ioseph.

4. Festa Duplicia maiora cuiusvis dignitatis et Duplicia minora Doctorum Ecclesiae non amplius transferri possunt, sed quando impediuntur, de eis fiat commemoratio, uti de aliis Duplicibus minoribus impeditis Rubricae disponunt (salvo quod numero sequenti statuitur de omittenda in Dominicis IX Lectione historica), nisi forte occurrant in Duplicibus I classis, in quibus nullius Officii agenda est commemoratio, nisi de occurrenti Dominicana, vel de Feria, aut Octava privilegiata.

5. Porro si in Dominicana maior occurrat Officium Duplex maius aut minus, vel Semiduplex, vel Simplex, fiat de Dominicana cum commemoratione Officii occurrentis in utrisque Vesperis (de Simplici tamen in primis Vesperis tantum) Laudibus et Missa, sine IX Lectione historica. Idem fiat in Dominicis minoribus, nisi in eis occurrat Festum quodcumque Domini, aut quodvis Duplex I vel II classis, aut dies Octava Festorum Domini, quo in casu, ut supra n. 2 dictum est, fiat de Festo, vel de Octava cum commemoratione et IX Lectione Dominicanae.

6. Dies, in qua celebratur Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, excludit translationem cuiusvis Festi.

TITULUS IV.

De Festorum occurrentia perpetua eorumque repositione.

1. Festa omnia ritus Duplicis sive maioris sive minoris, aut Semiduplicis, si perpetuo impedianter, reponuntur in primam diem liberam, iuxta Rubricas.

2. Festa Duplicia I et II classis perpetuo impedita reponuntur, tamquam in sedem propriam, in primam diem liberam ab alio Festo Duplici I aut II classis, vel ab aliqua die Octava, vel ab Officiis huiusmodi Festa excludentibus, salvo privilegio Festivitatibus Purificationis B. M. V. concesso.

3. Dominicanae maiores excludunt assignationem perpetuam cuiusvis Festi Duplicis etiam I classis: Dominicanae vero minores assignationem excludunt cuiuscumque Duplicis maioris aut minoris, nisi sit Festum Domini. Festum SS. Nominis Mariae perpetuo assignatur diei duodecimae mensis Septembris.

4. Dies II Novembris excludit tum Festum occurrentia quae non sint Duplicia I classis, tum Festum perpetuo reponenda cuiusvis ritus.

TITULUS V.

De concurrentia Festorum.

I. Dominicanae maiores Vespertas habent integras in concurrentia cum quovis Festo, nisi sit ritus Duplicis I aut II classis: ideoque in primis Vespertilis sumuntur Antiphonae cum Psalmis de Sabbato; in Adventu tamen dicuntur Antiphonae de Laudibus Dominicanae cum iisdem Psalmis de Sabbato.

2. Dominicanae minores cedunt Vespertas, tum Duplicibus I aut II classis, tum omnibus Festis Domini, tum diebus Octavis Festorum Domini: integras autem habent Vespertas in concursu cum aliis Festis, sumptis in I Vespertilis Antiphonae et Psalmis de Sabbato.

3. Leges, quibus ordinantur Vespere infra Octavam Nativitatis Domini, immutatae manent.

DIARIUM VATICANUM

(Mense Ianuario MCMXII).

Coram SSmo. admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui quisque muneris gratia, Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Pontificiae Nobilium Ecclesiasticorum Academiae alumni; Carolina e regali domo Borbonica de Sicilia princeps foemina; Zamoyska comitissa una cum Ratzwill principe foemina eiusque filio; Iacobus Warwich, novus rector Anglici Collegii in urbe Olyssippone; De Gropello ducissa; Consilium Maximum Societatis Catholicarum mulierum in Italia; Alfonsus Serlupi-Crescenzi, marchio; Camillus Rospigliosi, princeps Urbanus, eiusque familia; Stolberg comitissa, eiusque filia; Clary comitissa; Ruspoli princeps foemina cum Ioanne filio; Bruno Chaves doctor, Brasiliæ legatus apud Apostolicam Sedem; Thomas Antici-Mattei, Urbanus princeps, cum uxore et liberis; Stanislaus Medolago Albani comes; Philippus Theodoli marchio; D'Erp dynasta, Belgarum administer cum omni potestate apud Apostolicam Sedem; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus.

Pontificiae electiones.

Provisio Ecclesiarum. — Per decreta S. C. Consistorialis SS. D. N. Pius PP. X has quae sequuntur ecclesias de proprio pastore providit, scilicet: Cathedrali ecclesia Sabariensi praefecit sacerdotem Ioannem e comitiis Mikes, dioec. Transylvanien., ibique parochum et archidiaconum foraneum ecclesiae civit. Székelyndvárhely; cathedrali eecl. Armenopolitanae seu Szamos-Ujvariensis Rumenorum ritus Graeco-Catholici, renum. Basilium Hossu, haetenus episc. Sugosiensem Rumenorum; cathedralibus ecclesiis Recinete si et Lauretanae renum. Alfonsum Andreoli haetenus episc. Feretranum; cath. eecl. S. Ioannis de Cuyo sacer. Iosephum Americum Orzali, archidioec. Bonnærensis, parochum S. Michaëlis Arcangeli in civ. Bonaëren.; cath. eecl. Lojanæ sacerd. Carolum Mariam de la Torre, archidioec. Quitensis, ibique canonicum theol. gum ecclesiae metropolitanae.

Emi. viri Basilius Pompili inter iudices Supremi Apostolicae Signaturae Tribunalis, et Ioannes Baptista Lugari atque Gulielmus Van Rossum in Pontificium consilium bibliis studiis provehendis adleguntur.

— R. p. d. Alfonsus Andreoli, a dioecesi Feretrana ad Recanatensem seu Recinensem translatus, inter episçopos adsciscitur pontificio solo adstantes.

— R. d. Ioannes Baptista Rosa alter a secretis dicitur S. Congregationis Consistorialis.

— R. p. d. Thomas Boggiani, archiepiscopus titul. Eddesen., legatus apostolicus mittitur in Mexicanam civitatem.

— Rmus. d. Raphael Scapinelli de Leguigno, a secretis S. C. Negotiorum Ecclesiae extraordinariorum, archiepiscopus Laodicen. et Apostolicus Nuntius ad Austrorum Hungarorumque imperium creatur.

Vita functi viri clariores.

Die xix mens Ianuarii MCMXII, Vindobonae, Alexander Bavaea, archiepiscopus tit. Pharsalen., Apostolicus Nuntius ad Austrorum Hungarorumque imperium, in oppido Rocca-dicambio Aquilanae archidioecesis natus d. xi mens Maii MDCCCLVI.

— d. xxiv, Romae, Aloisius Serlupi-Crescenzi marchio, Summi Pontificis equiso maior, in Urbe natus d. xxx mens Septembris MDCCXXX.

— d. xxvii, Romae, septuaginta et sex annos natus, Iulius de Wagner comes, legatus extraordinarius atque minister cum omni potestate Monocen. principatus apud Apostolicam Sedem.

— d. xxix, Romae, Marcus Antonius Columna, princeps Urbanus, Sta. or proximus a solio Pont. Max., Neapoli natus d. viii mens Aprilis MDCCXLIV.

EX SACRIS CONGREGATIONIBUS ROMANIS

SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE

Ex Congregatione Indicis.

Per decretum d. xxii mens Ianuarii MCMXII damnata, proscripta atque in Indieem librorum prohibitorum relata sunt opera quae sequuntur:

L. DUCHESNE. *Histoire ancienne de l'Eglise.* — Paris. ABBÉ DOLONNÉ. *Le Clergé contemporain et le Célibat.* — Paris, s. a.

LETTERS TO HIS HOLINESS Pope Pius X By a Modernist. — Chicago, 1910.

THE PRIEST. A Tale of Modernism in New England. By the author of *Letters to H. H. P. Pius X.* — Boston, 1911.

ADVENIAT REGNUM TUUM. 1. *Letture e Preghiere cristiane.* — 2. *Rituale del cristiano.* — 3. *L'anno cristiano.* — Roma, 1904-5.

VENANCIO GONZALES Y SANZ. *La bancarrota del Protestantismo; estudio histórico-sociológico-critico.* — Madrid, 1910.

L. CHOUILLY. *Carnet du petit Citoy n. Résumés d'instruction morale et civique.* — Cours moyen et supérieur. — Verdun, 1910.

TOMMASO GALLARATI SCOTTI. *Scoria dell'amore sacro e dell'amore profano.* — Milano, 1911.

Per idem decretum notum fit ZENNER WIESMANN) W. KOCH et O. WECKER, AUG. HUMBERT, OTTOCARUM PROHASZKA et auctorem (P. A. S., operis inscripti *Catechismo di storia sacra*, decretis S. Congregationis, editis diebus 8 Maii et 5 Iunii 1911, quibus quidam libri ab eis conscripti notati et in Indieem librorum prohibitorum inserti sunt, laudabiliter se subiecisse.

ANNALES

Bellum inter Italos atque Turcas.

Bellum quod inter Italos atque Turcas in septentrionali Africa geritur, discrimen, caducum licet, in Europa proximis diebus peperit. Itali enim dubitantes an per Gallicas naves in Tunetense territorium, indeque ad hostes clam subsidia mitterentur, onerarias naves duas, alteram *Carthaginem*, alteram *Manouba* nuncupatas, catascopis suis in altum continuerunt, easque Caralensem in portum deductas attente visitarunt; quum autem illuc aeronavem, hic Turcas viginti novem invenissent, machinam et homines tamquam belli praedam declararunt. Tum vero Gallorum ira exarsit, qui tot tantisque verbis praedicatae amicitiae imme-

mores, clamore atque minis omnibus Italos insecuri sunt. Vicit tamen, feliciter, prudens utriusque gubernii consilium; iuridica quaestio ad Hagense tribunal remittitur; aeronavis, fide data, eam in usum Turcarum nunquam cessuram, restituitur; traduntur pariter undetriginta captivi, in quibus Galli, Turcarum scientissimi, totidem medicos vel aegris inservientes expedite recognoscunt, iisque tutum omnino iter faciunt sese cum civibus suis pro eliantibus coniungendi.

Ceterum Itali, lente quamquam, ob adversa temporum praesertim, assidue progrediuntur; in terris, Gargaresc oasi occupata, ad hostium continuos impetus victricibus armis propulsandos intendunt; in mari, nonnullis Turcarum navibus ad Konfuda demersis, fulmineis ballistis oppida ac munimenta Mahumetanorum per Erythreum mare oppugnant.

Eversae res in Sinis.

Populari gubernii ratione in Sinis pronunciata eique San-Jut-Sen doctore praeposto, hostilia brevi renovata sunt inter novarum rerum fautores atque milites regali familiae fidos, dum Yuan-Shi-Kai omnia experiri conatur, ut, specie saltem, singulare imperium servetur. Non faustis tamen auspiciis; provinciae enim Sinarum, quae proprie dicuntur, decem et septem numero, temporum inclinationibus adhaerent; in Mongolia «Buddah vivens» (hoc nomine religionis caput distinguitur) princeps nulli subiectus a civibus renunciatur; in Mandchouria denique Iaponici, ut in Thibetana regione Angli, maxime pollent. Ubinam igitur regalis antiqua progenies consistat?

Dum scribimus, per viam quae inter Pechinum et Hanckeum urbes intercedit, acriter pugnatur.

Varia.

Dum in Gallia senatores ad id delecti pactiones Franco-Hispanicas de Mauritania examini subiciunt, in Riffiana provincia decertationes quotidie renovantur. Ad Kert flumen Hispani dicuntur trecentos milites suos aut caesos aut vulneratos vidisse, priusquam Mauros e castis submoveare possent.

Anarchica in Perside rerum perturbatio adhuc perdurat; itaque facile intellectu est fore ut Russicum item Anglicumque imperium postulata sua de moderandis per se tum civili administratione tum publica pecunia in dies augeant, nullaque Persis futura sit salutis via.

Sub libertatis nomine (heu! quot criminibus onerium huiusmodi nomen) in Lusitania contra Episcopos atque presbyteros Catholicorum saevitur; sed interim plebs a laboribus ex condicto recedit, ad arma currit, ita ut obsidionis, prout vulgo dicunt, statum indicere oporteat. Quid vero? Gubernio iuvat harum seditionum incusare regis asseclas; imo regum. Notum est enim Brigantinae regiae stirpis ramos duos proximis hisce diebus Dover ad urbem simul convenisse, antiquisque

positis inimicitiis, ad commune patriae bonum uno animo conspirandum iudicasse.

In Americis Novi-Mexici territorium cum Civitatibus nordicis Foederatis amice coniungitur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS legibus ferendis

In Borussia rationes acceptorum et expensarum perpenduntur.

In Gallia, obortis dissensionibus de parte non nullis administris sibi sumenda circa foedus cum Germania de rebus in Africa gestis atque gerendis, administratorum collegium omne sese a munere abdicavit. Novo praeses Poincaré constitutus, cuius collegae sunt Briand, Bourgeois, Steeg, Millerand, Delcassé, Guist' hau, Klotz, Pams, Lebrun, Ioannes Dupuy, Ferdinandus David.

In Germania nova comitia habita, quae socialistarum factioi favorabilia maxime cesserunt.

In Russia de «socialibus» legibus disceptatur.

In Suetia regali oratione publici coetus sessiones resumptae, rogatioque legis nunciata de iure suffragii mulieribus quoque ita tribuendo, ut foeminis aliquot etiam magistratus adire liceat.

In Turcarum imperio Said ipsi munus administratorum collegii renovandi commissum, qui novos administratos e «Iuvenum Turcarum» factione legit. Deinde, per litteras Imperatoris senatu oblatas, popularium legatorum coetus dimissus.

PER ORBEM

Die III mens. Ianuarii MCMXII Vratislaviae septuaginta et septem annos natus obit Felix Dhan, Germanicus iurisperitus, ac simul historicus, poeta Milesiarumque fabularum auctor.

— d. VI ad Brixiam immane incendium Iani pagum fere omnino absunit.

— d. VII prope ferriviae stationem Bondy, octo millibus passuum ab urbe Lutetia Parisiorum sitam, curruum series vapore actorum, citato cursu superveniens, alteri occurrit, viatoribusque septem horribilem mortem, viginti autem vulnera adducit.

— d. VIII, Mons in Belgica, opifices fodinarum ad carbonem extrahendum, triginta millium numero, ex condicto ab opere recedunt.

— d. IX in vetere militari via ad Coloniam Agrippinam necropolis detegitur, in qua antiquitatis periti existimant milites caesos in Teutoburgensi proelio inter Varum et Arminium sepultos fuisse.

— d. X. Neo Eboraco in urbe aedes Societatis parsimoniae provehendae, cui nomen *Equitable*, improviso incendio diruuntur. Humanae victimae duodecim lugentur, quarum quinque ex impavida vigilum cohorte.

— d. XIV mersabilis bellica Italorum navis, cui nomen inditum *Argus*, Spetiae feliciter in mare immittitur.

— d. XV, Issy-les-Molineaux ad oppidum Galiae, aéronaves duae volitantes invicem urgentur; franguntur machinae, nautaeque Hanouville et Ruger procidentes vulnerantur.

— d. XVII Ianuense vetustum templum B. Virginis vulgo *della Guardia* ex improviso prolabitur secumque in ruinam trahit proximas aedes S. Stephani nonnullaque artis monumenta in iisdem aservata.

— d. XX Aberdeen, in Scotorum litore, vectoria navis frementibus undis in scopulos propulsa naufragium patitur. Viatores quinquaginta fluctibus heu! submerguntur.

— d. XXVI vehemens terrae motus in Graeciae provinciis atque insulis ingentia damna parit.

— d. XXVIII Romae cursum vitae placide absolvit Antonia Klitsche de La Grange, Milesiarum fabularum, quas ex historicis argumentis, iuxta Gualterii *Sc tt rationem*, praecipue condidit, auxtrix probabilis.

— d. XXIX Assuan iu urbe, sexaginta et unum annos natus, vita fungitur Alexander Duff, primus de Fife dux, Anglorum regis levir.

— d. XXX tumultus per Lusitaniam passim nunciantur, ab opificibus opera sua ex condicto deserentibus excitati.



LIBRORUM RECENSIO

Opera poetica Dantis (Divina Comoedia, Vita Nova et Cantus Lyrici) versibus germanicis reddita, adiecto e conspectu textu italicico, auctore RICHARDO ZOOZMANN. (Vol. 4, in 12. Friburgi in Brisgovia, typis B. Herder, a. 1911, editio altera. — Coniecta lino ven. mare. 20; pergamena, mare. 30).

Priorem huius operis editionem honorifice iam recensuit Commentarius noster, postquam a. MCCCCVIII in lucem prodierat. Ad praesentem autem impressionem novae accedunt laudes, eaeque praeclarae, quas paucis innuere placet. Nam, etsi anterior editio absoluta videbatur ad unguem (quam ob causam brevi triennii intervallo divendita fuit), suam tamen auctor interpretationem iterum ex integro recognovit, nec paucis in locis ulterius limavit atque expolivit. Duriores nempe, qui subinde remanserant, emollivit verborum occursus; sententias aliquot, non ita accurate redditas, felicius expressit; quin etiam interpres eo usque fidem servavit, ut quae versuum desinentiae in prototypo femineae essent (uti aiunt) vel masculinae aut dactylicae, easdem ipse pari ratione concluderet. Nec desunt loci, etiam longiores, qui omnino fuerint retractati et refecti. Ita constigit, ut Aligherius, Zoozmannica veste indutus, ea proponit maiestate et gratia incedat apud Germanos, qua fulget apud Italos in sua toga nativa. Qui felicissimus exitus debetur, non solum incredibili diligentiae clarissimi interpretis, vrum etiam admirabili scientiae, qua ille the-

saurum praedivitem linguae germanicae penitus investigavit et penes se retinuit.

Alia huius editionis eximia laus est, quod, praeter generale praeloquium in Divinam Comoediā, variae praemittuntur adnotaciones in Dantis Infernum, Purgatorium, Paradisum, Vitam Novam et Cantus Lyricos. Harum elucubrationum auctor est Constantinus Sauter, vir cum in aliis materiis perdoctus, tum in iis omnibus versatissimus, quae ad Dantem pertinent, cuius etiam *Convivium* egregie redidit, germanice conversum. Quantam vero lucem memoriae praefationes cantibus Dantinis afferant, ille profecto experietur, qui eas vel cursim perlegerit.

Ipsa tandem voluminum facies suo decore legentes allicit Charta nitida est itemque firma; errores typographici desunt; experimentum, etsi simplex, elegantiam spirat. Uno verbo, opus hoc nobili sua origine dignissimum est, prelo inquam Herderiano.

FRANC. X. REUSS.

AENIGMATA

I.

*Pars prior aspergit tellurem luce corusea,
Claudit saepe preces altera Christicolum.
Heu! totum restat miseris, Fortuna dolosa
Quae atroce manu cetera cuncta rapit.*

II.

*Nescio mutari: recte seu lecta retrorsum
Non cesso fauces urere saeva tuas.*

F. P.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Doctorem IOSEPHUM FORNARI, Commentarii moderatorem (Roma, via del Governo Vecchio, 96) miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet loachim Antonelli Costaggini Milesiam fabiam, cui titulus:

ARRAE GORGONIAE.

Aenigmata an. XIV, n. X proposita his respondent:

- 1) Nox, Nix, Nex, Nux.
- 2) Navis, Avis, Vis, Is.

Ea rite soluta miserunt:

Lucius Rhaetus, *Bucarestino*. — Aug. Scriban, *Iassii*. — P. C. Peltenburg, *Soterwonde ad Lugdunum Batavorum*. — Lad. Lud. Podobinski, *Neo Sandecia*. — Alex. Fäsgtusz, *Szatmär*. — I. M. Meunier, *Corbiniaco*; Fr. Baturewicz, *Zytoniria*. — St. Kempa, *Strosisca*. — Ioan. Galbiati; F. Arnori, *Mediolano*. — Ioan Sismondo, *Casale Montisferrati*. — Ad. Kozlowski, *Petricovia*. — St. Dantas, *Natal in Brasilia*. — P. Bernardins a Montienlo, *Avzano in Marsis*. — F. Ortiz, *Morelia*. — Fr. Salvatore, *Syracusis*. — Georg. Archambeault, *Quebeco*. — I. Martins, *Philadelphia*. — Petrus Tergestinus. — Nic. Endrigi, *Salisburgo*. — Rich. Brondel, *Brugis*. — R. Richi, *Traianópoli*. — Raim. Silvan, *Londino*. — F. Ricci, *Florentia*. — Clem. Fiard, *Curia Rhetorum*. — Nic. Lagumina, *Panormo*. — Fr. Xav. Ghion, *Ostunio*. — Barth. Ferraris, *Augusta Taurinorum*. — F. X. M., *Drepano*. — Paulinus a S. Iosepho, *Burcimone*. — Rich. Muller, *Berolino*. — Mart. Dunne, *Neo-Eboraco*. — Alb. Perraud, *Lutetia Parisiorum*. — Ant. Whiteside; Alb. Kain, *Dublino*. — Ant. Masia, *Terragona*. — Iac. Menendez, *Madrito*.

Sortitus est praemium:

GEOGIUS ARCHAMBEAULT,

ad quem missum est opus, cui titulus:

VINCENTII LANFRANCHI
DE ORATORIBUS ROMANIS
ACROASIS

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus

ROMAE — Ex officina Societatis Editricis Romanae.

EUPLIUS

(15)

Action dramatica a I. B. Francesia versibus senariis exarata.

SCENA VI.

POPULARES CHRISTIANI (*adspicientes ad partem qua actus est Euplius*).

POP. I.

Accedit carnifex, praeparat gladium!

POP. II.

Quod circa sacrum populi silentium!

POP. III.

Super stat ipse suggestus, vult alloqui....

Urbis Praefectus, indignanter, prohibet....

Levat caput, manus, precatur tacitus.

Eius crux fluat sanitas civium!...

POP. II.

Hic esto, Christe, princeps et praesidium.

Omnesque cives adorent Te in posterum (*pausat*).

SCENA VI.

VOLUSIUS. (*Sedit moesto adspectu*).

Occidit placidus vir hic sanctissimus!

Amator pertinax recti propositi!

Quid ipsi si Deus forte Christus foret?

Quid nisi Si tantos viros potest gignere...

Oh! si mihi tandem lumen splendesceret!

Adhuc quod nitor veritatem pellere?

Ad te confugio contentus pectore,

Colo Te, veneror, Christe, Te fateor

Solum qui mundum redemisti sanguine.

(*Axix genibus adorat*).

At ecce Maximus redit. Qua spe ie!

Hunc forte rodet conscientiae stimulus;

Iustum nam percutit tot modis pes imis.

SCENA VIII.

MAXIMUS,

(*mutato vultu ingreditur*) et DICTI. Deinde CALVISONIUS.

MAXIMUS.

Et ipse mortuus! Tamen qua laetitia!

Non ullus questus, nulla trepidatio!

Ut olim dicitur Christus ad Golgotham,

Meis ignoscens fervidus sceleribus,

Dicens: *Iesu, meo da veniam populo!*

Cur autem crucior? Quod nuper petii

Evenit tandem! Magna vis pecuniae

Velut flumen currit quod naturaliter,

Meas in ulnas deveniet proxime.

Serpit sed terror qui per ossa gelidus?

Timor meorum qui me turbat criminum?

Novisti Christum! Reliquisti, perfide!

Quod nam discriminem Christi cum discipulo

Magistrum tradidit qui pro pecunia?

Erat tibi pater... Duxisti ad iudicis...

Ut Iudas admodum magistrum tradidi!

Huius me turbat in iustum proximum...

Meo nullum datur perfugium sceleri,

Manent sed aeternae me poena ad inferos.

O Calvisiane! Quae me dementia

Traxit ut comes essem tibi criminis?

Quid fecerim sentio! Flamma velut crux

Per membra serpi, iecur lacerat, viscera,

Ad imos talos heu! sudore diffuso!

Suo me nemesis castigat fulmine! (1)

VOLUSIUS.

Vide qua morte periit! Rebellis, impius!

Venit suus comes, flagitii socius!

CALVISONIUS.

Quo vadam nescio. Videre videor

Occisi effigiem vagari ante oculos

(1) Post hanc, veluti fulmine tactus, stabit immobilis, dum ingreditur Calvisianus.

Mihi turbatis comminarier vultibus.

Miser, quid egi? Ehu! quot in me umbreculae

Vagantur circum, me verbis territant.

Euplius adest prior! diffusus sanguine

Indutus at veste, corona candida...

Miser, quid egi? Servet quis incolumem?

Quid est? Hic Maximus percutitus fulmine!

Luit poenam suo conditam criminis.

Quis me salvet?

VOLUSIUS.

(*Ad stantes versus*).

Iesus Christus! si crederes. (1)

Ei sit virtus, decus, honor per saecula!...

Sum Christianus! Christum veneror et colo,

Quem nobis Euplius fassus est sanguine!

OMNES (*Alternativum*).

Regnet Deus, cunctis dominetur gentibus,
Dedit qui martyri triumphi gloriam!

LICENTIA. (2)

Iam sanctus Euplius corona cingitur,

Acceptus inter caelestium gloriam.

Sanctus recreatur vero volumine,

Aeternis aureis descripto litteris.

Luit quoque poenam quaesitam scelere

Infelix Maximus! Colunt et Catani

Iesum! Volusius fratres et pauperes

Suis solatur verbis et divitiis.

Ridet muneribus divinis Catana,

Extollit laudibus meritis martyrem,

Fuit qui semen Christiani germinis.

Nostri actitarunt qui latinam fabulam,

Ex promtam a libris dedit quos historia,

Et totis nervis, qua pars est modista,

Agi vobis volunt, spectatores, gratias,

Multo qui meritis estis et numero!

Si in actitando forte nos peccavimus,

Docti cognoscite, comes ignoscit.

Si delectavimus, plausum date.

Deus vos conservet semper incolumes!

FINIS.

(1) Calvisianus adstat aliquantis per ances et postea maxima poena confectus introgreditur.

(2) Erit etiam qui PROLOGUS.

PROXIMA "VOCIS URBIS" APPENDIX

Ioannes Baptista Francesia, qua facundia pollet, novam scenicam actionem ad nos misit, appendicis modo in "Voce Urbis", vulgandam, quam inscripsit

AD PILATUM

cuiusque personae (peculiare id, imo in re Latina unicum) a solis mulieribus geruntur.

Antequam vero eius editionem aggrediamur, pluribus so- ciis morem gerentes, qui frusta iamiam requisiverant, iterum vulgabimus Sienkiewicji fabulam, cui titulus

ANTHEA

SIVE

EAMUS AD IPSUM.

Eam, prouti certe lectores recordantur qui ab incunabulis nobiscum fuere, pro nobis venustissime, quemadmodum solebat, latine reddidit **Petrus Angelinius**, magister ille desideratissimus, paucis tantum abhinc mensibus e vivis erexit.